



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1709. usque ad annum 1714

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1782**

**VD18 90119266**

§. 38. Aucti dolores & Vexationes Turnonio irrogatæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67615](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67615)

rum primogenitus; & illis eam mit- Sæc. XVIII.  
 to, non solum in signum mei fraterni A. C. 1710.  
 amoris, sed etiam in symbolum ho-  
 norum, laborum, & ærumnarum,  
 quibus semper associata fuit hæc mea  
 Legatio. Si mihi præterea aliquid  
 dandum remanet, rogo, ut partim in  
 Eleemosynas erogetur, partim vero,  
 Missis pro me legi curandis applice-  
 tur.,

Executores testamentarii in China  
 erunt Domini Ignatius Giampe, &  
 Don Andreas Candela, in Europa au-  
 tem Dominus Abbas Fatinelli, & Do-  
 minus Sabinus Mariani.,

§. XXXVIII.

*Audi dolores, & vexationes.*

Hoc autem anno ad initium Verni je-  
 junii Turnonius tam gravibus vi-  
 scerum doloribus vexabatur, ut mor-  
 tis suæ horam fat vicinam fore haud  
 dubitaret; morbi tamen vehementia,  
 appropinquante Paschatis solemnitate  
 nonnihil remittere videbatur, quæ ta-  
 men paulopost indies eo magis aucta  
 est, quo machinationes, calumniæ &  
 suorum hostium violentiæ quotidiana  
 capiebant incrementa, quæ tamen  
 omnia Cardinalis cum incredibili animi  
 tranquillitate, admirabili & prorsus

*Hist. Eccles. Tom. LXVIII. L he-*

Sæc. XVIII. A. C. 1710 heroica constantia, suæque voluntatis  
 consensione cum Divina usque ad ul-  
 timum vitæ halitum exantlavit. De-  
 mum die septima Aprilis brachiorum  
 usu destitutus, die vigesima quarta ejus-  
 dem Mensis vehementius colicis dolo-  
 ribus excruciabatur; ei enim in pocu-  
 lis propinatum fuisse venenum, non-  
 nulli referunt Authores: unde corpus  
 lecto reclinare coactus est, quamvis æ-  
 cerbius pateretur recumbendo, quam  
 stando, unde modo in unum, modo in  
 aliud latus continuo motu se vertere,  
 de uno lecto in alium, vel utroque re-  
 lecto ambulare, aut sedere compelle-  
 batur: Postremis tribus septimanis Gen-  
 tiles eidem permiserunt, ut Missionarii  
 qui Biretum attulerant, in libertatem  
 asserti, eum invisere possent, quod ta-  
 men aliis denegatum, præterquam  
 Abbati Ignatio Cordero Equiti, & P.  
 Josepho de Langasco, quos Cardinalis  
 non sine maximo animi sui solatio sibi  
 in extrema lucta assistentes habuit. Die  
 autem octava Junii, quæ erat Domi-  
 nica Pentecostes, mane e lecto surgens  
 Missæ Sacrificio, quod Andreas Candel-  
 ejus Sacellanus, & Sacræ Visitationis  
 Cancellarius peregerat, in sua sella se-  
 dens ac deliquis diffluens interfuit  
 ubi etiam præmissa Sacramentali com-  
 fessione Eucharistico epulo reffectus est.

Per-

Peracto Missæ Sacrificio ante Aram in Sæc. XVIII.  
 oratione cum summo pietatis sensu, ac A. C. 1710.  
 Spiritus fervore diutius perseverare,  
 totis viribus contendebat, sed enixis  
 sui Medici precibus tandem cedens,  
 lectum suum, seu verius Crucis reclinatorium repetiit.

§. XXXIX.

*Pretiosa Cardinalis Turnonii  
 mors.*

Post hæc Cardinalis per integras quatuor horas Deo immortalis sese impense commendans, in lecto suo quiete ac integris sensibus remansit, paulo post apoplectico affultu (\*) obrutus: quocirca a P. Josepho Ceru Clerico Regulari ac Missionario extremo unctionis Sacramento munitus est: dumque Sacerdos pro animæ commendatione ad ea verba: *Commendo te &c.* pervenerat,

L 2 Tur-

(\*) Notat Guarnacius pag. 145. verum non esse, quod obierit ictu correptus apoplexiæ, prout tamen legitur in relatione Parisiis edita, & Gallico sermone Anno 1733. exarata; cum autem id P. Castorano Franciscanus, & Marchinus Turnonii Medicus, necnon ejusdem Auditor testentur, de morbi genere haud altercandum censeo, dum de mortis causa, ejusque Authoribus satis constat.